

CANCELL\*  
MARTIS B\*\*  
1718\*





50 gr 1

IX A. 6. 120.

52


~~MS. 12~~

~~XXVIII. 9. a~~


*[Faint handwritten scribbles]*






















- I. de iure societatis conjugalis.
- II. Klinger de Dote.
- III. de Donationibus propter nuptias ab eioribus  
Sontas vindicata Bodini.
- IV. Injaneyer de dote non promissa prestau.
- V. Jacobi de dote ante matrimonium consummatum  
licenda.
- VI. Joh. Samuel Stryk. de Testamento Conjugum reciproco.
- VII. Thomasi de pactis dotalibus.
- VIII. Cagitor de infantibus expositis.
- IX. Haber aus Prouit der Eheleute.
- X. Stiglit de eo, quod uxor in prejudicium maritorum  
cece possidet.
- XI. Bolsek de donationibus, quae fiunt inter conjugum  
honoris causa.
- XII. Bodini de retinenda libertate matrimonii in
- XIII. Hilliger de eo quod fit in honorem matrimonii
- XIV. Licci von Alron Affling zur Limber fund.
- XV. Injaneyer de infigata ad uirteni poena ob den  
tum conjugale debitum.
- XVI. Bodini de diuortio Conjugum propter delictum
- XVII. Wemer de reintegrando matrimonio.
- XVIII. Schwendendoefer de iure occidendi preheusu  
in adulterio filiae et uxoris.
- XIX. Joh. Sam. Stryk de iure et qualitate personarum  
Coniugum et parentum.
- XX. Bolsek de actionibus Conjugum mutuis.
- XXI. Thomasi de usu pratico doctrine Instabil: de n
- XXII. Joh. Sam. Stryk. de natura matrimonii
- XXIII. Joh. Sam. Stryk de matrimonii iure et instituti



- XXIV. Loh. San. Strux. de probatione sponsaliorum.  
 XXV. Bodini de anticipato. concubitu.  
 XXVI. E. de Conjugio illicito.  
 XXVII. Bardili non Ely. Fridriug. in. Ley. J. und E. Strux.  
 XXVIII. Beck De Conjugalis debiti praestatione.  
 XXIX. Mercken de auro paterno ad alimenta nepoti illegiti-  
 mo praestanda non obligato.  
 XXX. Strux de designatione Patris & matris infantis  
 facta.  
 XXXI. Thomasti de usu pratico doct. Justiti. de legitimat.  
 XXXII. E. de pactis futurorum sponsaliorum.  
 XXXIII. Jager de Concubinatu.  
 XXXIV. Strux de Obligatione sponsaliorum et dissolutione.  
 XXXV. Herold de fato. Matrimoniali de Ely. Strux  
 in. J. und E. Strux.  
 XXXVI. Ludovici non Ely. möglichen Ely. Strux. de Concubinatu.  
 XXXVII. Strux de natura sponsaliorum et divisione.  
 XXXVIII. Schindler de sponsalibus clandestinis.  
 XXXIX. Müller von dalt. Strux. Libe.  
 XL. Bodini de discordia Conjugum.  
 XLI. Müller von Ely. Strux.



JEHOVAH JUVANTE!  
DISPUTATIO JURIDICA  
DE

29  
DESIGNATIONE  
PATRIS A MATRE  
INFANTIS FACTA,

Oder:  
Wie weit einer geschwängerten Person in  
Angehung des Vaters zum Kinde  
zu glauben / und wie weit solche ge-  
dachten Vater graviren könne.

QVAM  
IN ILLUSTRIS CHRISTIAN-ALBERTINA  
P R Æ S I D E

DN. ELIA AUGUSTO STRYKIO,

J. U. D. JUR. PUBL. ET NOVELL. PROFES-  
SORE PUBL. ORDINARIO,

DN. PATRONO ATQVE PRÆCEPTORE  
SUO DEVENERANDO,  
IN AUDITORIO MAJORI

AD D. A. O. R. M DC XCVI.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET

WILHELMUS HENRICUS DULLÆUS,  
ALTENA-WESTPHALUS,  
AUT. & RESP.

---

K I L O N I,  
Typis JOACHIMI REUMANNI, Acad. Typogr.



DECRETALIA  
DE  
DISCIPLINA  
DECRETALIA  
DE  
DISCIPLINA  
DE  
DISCIPLINA

IN  
HONORE  
SANCTI  
PETRI  
APOSTOLICI  
PRINCIPALIS  
ECCLESIAE

DE  
HONORE  
SANCTI  
PETRI  
APOSTOLICI  
PRINCIPALIS  
ECCLESIAE

DE  
HONORE  
SANCTI  
PETRI  
APOSTOLICI  
PRINCIPALIS  
ECCLESIAE

DE  
HONORE  
SANCTI  
PETRI  
APOSTOLICI  
PRINCIPALIS  
ECCLESIAE

DE  
HONORE  
SANCTI  
PETRI  
APOSTOLICI  
PRINCIPALIS  
ECCLESIAE

DE  
HONORE  
SANCTI  
PETRI  
APOSTOLICI  
PRINCIPALIS  
ECCLESIAE

DE  
HONORE  
SANCTI  
PETRI  
APOSTOLICI  
PRINCIPALIS  
ECCLESIAE







DISPUTATIONIS

DE

DESIGNATIONE PATRIS  
à MATRE INFANTIS FACTA.

CAPUT I.

Explicationem Tituli exhibens.

SUMMARIA.

- Probatio paternitatis difficillima.* n. 1. sq.
- Designatio patris quid sit?* n. 10.
- Designare quid?* n. 11.
- Cur haec Designatio dicatur actus?* n. 12.
- Quid per mulierem denotetur?* n. 13.
- Quomodo nominatio fieri debeat?* n. 14. sq.
- Quis dicatur pater?* n. 16. sq.
- Quis intelligatur per infantem.* n. 18. sq.

**P**aternitatis probationem difficillimam, imò penè impossibilem esse & directò fieri non posse, apud JCros fere in proverbium abiit: Vid. Carpz. p. 1. c. 16. d. 26. n. 1. Gail. l. 2. Obs. 97. n. 3. Mascard. de prob. v. 1. concl. 453. n. 7. Gosw. ab Esb. in not. & add. ad Carpz. d. l. n. 1. Menoch. A. J. Q. L. 2. Cent. 1. cas. 89. n. 1. Cujus dicterii veritas penitus rem inspicienti in oculos facile incurret, pertinet enim concubitus ad ea opera, quæ clam semotis testibus committi solent, hominumque conspectum fugiunt: Et quamvis aliquando de concubitu constare possit, incertissimum tamen est, an Mater unò contenta ab aliorum complexibus se servaverit integram, quam incertitudinem etiam eleganter agnovit Telemachus, dicendo apud Homerum:  
 Ex illo natum Mater me dicit, at ipse  
 Nescio, nam certum quis posset scire parentem?  
 Equidem Boërius dec. 299. n. 4. fere in med. unicum casum, ubi directò fieri possit paternitatis probatio, refert, si scilicet mater conclavi

A 2 clavi





- clavi cuidam inclusa arctissime custodita fuerit, neminique ad eam præter unum patuerit aditus, tunc namque certò concludi posse, illum ipsum patrem esse fœtus, quem in custodia concepit fœmina.
- 5 Conf. Mascard. *de prob. concl.* 788. num. 9. & 10. Verùm enim verò & hic probandi paternitatem modus admodum fallax est, cum exempla apud Historicos obvia doceant, nec arces, nec munimenta, nec claustra, nec obices, imò nec ferreas portas fœminarum libidinibus impedimento fuisse, & castissimas quoque Matronas blandis amatorum verbis technisve tandem seductas ipsorum voluptati paruisse. add. Palæott. *d. notb. & spur. c. 21. num. 7. & 8.* Unde nec semper uxorum virtuti hac in parte fidendum, quod nec Owenum latuit, qui L. 3. Epigr. 98. ita cecinit:

Est dubii generis, castissima fit licet, uxor.

Ut taceam facillimè custodes vel precibus vel pretio corrumpi posse, ut via etiam aliis pateat.

- 7 Quoniam autem maximè Reip. intererat, quandam hac in re esse certitudinem, Jura in favorem miserarum matrum, ne nimium grave onus, patribus negantibus, subire necessum haberent, & ne semper filiorum status in incerto penderet, paternitatem conjecturis, præsumtionibus, aliisque circumstantiis verifimiliter probari posse disposuerunt, Glossa in l. Lucius 83. ff. de cond. & demon. in Verb. Testamentum nullius Gail. d. l. n. 4. Goswin. ab Esbach. d. l. num. 3. H. Hartm. l. 2. tit. 13. Obs. 1. n. 2. quas hic cõmemorare omnes nimis longum foret, possunt autem illæ videri apud Mascard. *de prob. concl.* 787. & sqq. Menoch. *d. cas. 89. per tot.* add. Pompejus *diff. d. modis proband. filiation. per tot.* Nobis tantum hac Dissertatione breviter explicare animus est, quem Designatio Patris à Matre infantis facta hac in re effectum & vim obtineat: Cui antequam nos accingamus hoc capite generalia quædam ad materiæ & rubricæ intellectum, consveto omnibus Disputantibus more, præmittenda erunt. Ordinemur autem à Definitione vel, si mavis, Descriptione hujus Designationis, quam formabimus ita: Quod sit actus, quò mulier prægnans vel parturiens notum facit sive nominat patrem, ex quo se concepisse infantem natum vel nasciturum prætendit.

11 Uti hic sumus vocabulo Designationis, quatenus illud à designa-



figurare, quod idem ad rem notam facere l. 6. ff. d. rei vind. l. 3. ff. ad exhibend. significat, deducitur, ut ex Horatio probat Calvinus Lexic. Jurid. Voc. Designare.

Generis deinde loco posuimus Verbum *adus*, commodius enim genus illis negotiis, quæ variè perficiuntur, assignari nequit. Conf. l. 19. ff. de Verb. sign. ibique Ddres. Tertiò subjunximus: *quò* mulier, quam vocem hic eo sensu usurpamus, ut ejus appellatione etiam fœmina adhuc innupta contineatur, vid. l. 13. pr. ff. de V. S. l. 25. §. 1. ff. de aur. arg. & mund. l. 81. §. 1. ff. de leg. 3. l. 14. §. 7. ff. d. edil. Edict. cum non tantum de maritatis, sed etiam de solutis partum edentibus locuturi simus. Porro diximus: *Notum* facit seu nominat, hoc enim vocabulum prædicatur de iis, qui ut participes facinoris à delinquentibus indicantur & deferuntur, vid. l. 17. §. in questionibus ff. ad municip. l. 1. §. cum quis ff. d. question. l. 2. ff. d. bon. eor. qui ant. sent. Nihil verò hic interest, sive id ipsum fiat nomine, vel prænomine, vel cognomine simul adscripto, vel altero ex his, l. 1. ff. de lib. & postb. Imò ne quidem nominis expressione hic opus, sed id etiam per demonstrationem artificij, officijve, vel aliud indubitabile signum fieri potest; vid. l. 34. ff. de cond. & dem. Demonstratio enim nominis vice fungitur, l. 6. ff. de reb. cred. & nomina significandorum hominum gratia reperta sunt, quæ si aliò quolibet modò intelligantur nihil interest, §. 30. 7 de Leg. Unde sequitur, nos hic quamvis expressionem, ex qua de persona designata constare potest, Designationis nomine complecti. Addidimus denique: *Patrem*, qui quidem in jure is dicitur, quem iustæ nuptiæ demonstrant, indeque Juris Civ. nomen est l. 5. ff. de injus voc. & hinc illi, qui ex illicitis conjunctionibus nati sunt, spurij & ἀπ' ἀτραπέσ, quasi sine patre filii, dicuntur §. 12. 7. de nupt. in sensu tamen latiori & seposito Jure Civili omnis ille hoc vocabulò denotatur, qui aliquem genuit, seu à quo nascitur initium generis, Calvin. in Lex Jur. Voc. Pater Calepin. in Lex ead. voc. quem sensum ipsa vocis proprietas adjuvat, pater enim exinde appellatus, quod patratiōe peracta filium procreet, patratiō verò est rei veneræ consummatio, Calep. & Calv. voc. Patratiō. Tandem etiam *infantis* in Descriptione mentionem fecimus, quo nomine quidem in



jure nostro regulariter venit ille, qui septem annis minor, quasi  
 fandi impos, est, l. 1. ff. *sufficit ff. d. admin. tut. l. 18. pr. C. de Jur. delib.*  
 19 Verum nos itidem paulo generalius hic eò utimur, ut nobis idem  
 fit, quod partus, proles, id quod nec apud bonos authores præfer-  
 rim Poëtas est infrequens, nec juri nostro adeò incognitum, prout  
 videre licet ex l. 41. §. 14. ff. *de leg. 3.* quin quod & ille partus, qui  
 in utero materno adhuc existit, infantis nomine sæpius venire so-  
 leat. Brunnem. *ad l. 8. C. ad L. Corn. de sicar.* Hilliger in *Don. l. 7. c.*  
 20 9. lit. D. Placuit autem idcirco infantis vocem adhibere, quia de-  
 signatio patris primæ ætatis gradum, infantiam dictum, vix excedit,  
 21 sed plerumque intra illum fieri solet; quod si tamen, ut ab adulte-  
 ris sæpe fit, ea in grandiori filiorum ætate contingat, ad ipsum jus  
 22 infra à nobis explicandum non mutabit, sed eadem in illa obtine-  
 bunt. Id fanè hîc nihil intererit, num proles mascula sit, num fœ-  
 mella, nam sexus masculinus comprehendit etiam fœmininum, l. 1.  
 ff. *de V. S.* & ibi Dd. & infans in fœminino quoque genere à *Quin-*  
*tiliano* usurpatum legitur. *add. l. 20. §. ult. ff. de stip. serv.*

## CAPUT II.

DE

Effectu hujus Designationis, quoad  
Personam designatam.

## SUMMARIUM.

**T**ransitio. n. 1.Designationi matris non creditur n.  
4. sqq.Sive sit meretrix, sive alias honesta per-  
sona. n. 11. sq.

Sive soluta, sive maritata. n. 13. sqq.

Ob talem designationem designatus  
non potest capi. n. 16. sq.Nec contra eum ad spectalem inquisi-  
tionem procedi. n. 18. sq.Quid si femina alias sit honesta. n.  
20. sq.Generalis tamen inquisitio habet lo-  
cum. n. 29.Ob hanc designationem non potest in-  
stitui Confrontatio. n. 30. sq.

Multo minus tortura imponi. n. 37. sq.

Nisi alia accedant adminicula. n. 40. sq.

Non potest ex tali designatione aliquis  
condemnar. n. 43.Ob hanc Designationem sponsa non  
potest recedere à sponsalibus. n.

44. sq.

Nec uxor petere divortium. n. 46.

Nec



Nec aliquis ex Collegio Opificum excludi. n. 47. sq.

Nec à sacra synaxi arceri. n. 49. sq.

Sacerdos ita designatus eapropter non potest suspendi ab officio. n. 54. sq.

Procedunt dicta, licet femina aliquem designaverit in mortis articulo. n. 57. sq.

Aut in dolore partus. n. 59. sq.

Aut in iudicio. n. 64.

Aut in loco publico. n. 65.

Licet etiam accesserit Juramentum. n. 66. sq.

Vel femina sacramentum S. Cœnae de super sumpserit. n. 68. sq.

Idem est licet femina in tortura hoc dixerit. n. 70. sq.

Nec magis gravat aliquem, quod cum

femina in eadem domo commoratus fuerit. n. 72. sq.

Multò minus fidem merebitur femina, si in designatione variet. n. 76. sq.

Vel locum aut tempus concubitus exprimere non possit. n. 78. sq.

Potest tamen femina personæ designatæ juramentum deferre. n. 80. sq.

An hoc Juramentum indefinitè, etiam nulla temporis mentione facta deferri possit? n. 87. sq.

An Juramentum purgationis locum habeat? n. 94. sq.

An locus sit Juramentum suppletorio? n. 100.

Quid operetur Designatio adulteræ in casu, si plures cum ea concubuerint? n. 101.

**H**isce generalibus præmissis ad specialiora transeundum, & hoc 1  
ac seqq. capp. videndum, quo effectu Designatio Patris à Ma-  
tre Infantis facta gaudeat. Cum enim omnia ferè in jure nostro à 2  
vi, efficacia & utilitate sua æstimentur, l. 104. in fin. ff. de V. O. l. 13.  
§. 3. ff. de reb. dub. nec nobis vertetur vitio, quod in effectibus enu-  
cleandis operam potissimum ponamus. Qua in re ne permixtim 3  
de his explicando B. L. animum obruamus, aut ipsi in quandam  
obscuritatem incidamus, hoc primum capite, quid Designatio ejus-  
modi respectu personæ Designatæ operetur, considerabimus.

Quod dum molimur, in ipso statim exordio sine ullis amba- 4  
gibus Matri Infantis se cum aliquo concubuisse & ex illo gravi-  
dam factam asserenti nullatenus credi, eamque designationem Pa-  
tri designato nihil quicquam nocere dicimus, suffulti hac in parte  
tum rationibus ex jure depromptis, tum communis firmis Dd. suffra-  
güs. vid. Boer. Dec. 209. num. 1. sqq. Thessaur. dec. Pedem. 3. n. 4. Ber-  
lich. p. 5. concl. 38. num. 49. Farin. Op. Crim. part. 1. l. 1. qu. 43. num. 82.  
Magnif. D. Stryk in add. ad Brunnem. J. Eccl. l. 2. c. 18. §. 29. H. 5  
Pistor. Obs. 128. num. 1. Zang. de Tort. c. 2. num. 56. Cum enim Jura no-  
stra omnibus in re propria dicendi testimonii facultatem submove-  
rint,



- rint *l. 10. C. de testib.* nullumque in re propria idoneum testem esse  
 6 voluerint, *l. 10. ff. eod.* sed potius asserenti ejus, quod intendit, pro-  
 bandi necessitatem imposuerint, *l. 2. ff. de prob.* ita ut paria in jure  
 sint non esse & non apparere, sive non probatum esse, *l. 4. pr. C. de  
 edend. l. 30. ff. de test. iur. Myns. Dec. 1. R. 4. num. 21. Wesehb. parat.  
 tit. de prob. num. 1.* non video, quomodo sola illa personæ gravidæ  
 7 assertio aliquem infantis patrem constituere possit. Quod si enim  
 inculpare & accusare sufficeret, quis esset innocens? Prudentissime  
 8 Julianus Apostata Delphidio oratori respondit, commemorante  
 mendacij convictas temerariæ suæ inculpationis debitas fuisse pœ-  
 nas, ceu in hac ipsa civitate paucis abhinc septimanis experientia te-  
 stis locuples testatum dedit, quod argumentum à communiter acci-  
 dentibus deductum probabile est. Everhard. in *l. arg. l. L. à comm.  
 accid. num. 1.* Ac quamvis forsan nulla verisimilis ratio assignari  
 9 posse videatur, quare mater alium potius taceat, prætensum verò  
 stuprantem vel adulterum falsò designet, Farin. *Op. Cr. p. 4. l. 1. conf.  
 crim. 38. n. 3.* id tamen ad subruendam modò allatam sententiam,  
 10 legibus omnem efficaciam proprio testimonio denegantibus, ad-  
 modum imbecille est, illique refellendo inter alia quoque sufficere  
 poterit, & ipsas fœminas ut plurimum verum tempus conceptionis  
 ignorare, ut hinc propemodum impossibile illis sit, certum infantis  
 11 patrem demonstrare, si pluribus copiam sui fecerint. Quæ ipsa ratio  
 quamvis cesset in persona, quæ unicum tantum passa est virum, un-  
 de & Faber in *Cod. l. 4. tit. 14. ds. 18.* hoc in passu inter fœminam  
 alias honestam & meretricem distingvit, prior tamen, quæ de in-  
 12 validitate proprii testimonii antea assereretur ratio, nihilominus  
 adhuc obstat, ut proinde quoque nihil diversi in tali casu à priori  
 statuendum esse leges dicant. *l. 32. ff. ad L. Aquil. l. 27. S. 2. ff. ad  
 l. Jul. d. adult.*  
 13 Nec diversum hic in fœmina maritata, alium quam maritum  
 suum infantis sui patrem asserente, statuendum, siquidem & præter  
 14 modo allegatas rationes & quod tali in casu maritum patrem esse  
 justæ nuptiæ demonstrant, & pro marito præsumtio fit, *l. 5. ff. de in-  
 jus voc. l. 24. d. prob.* fœmina ejusmodi propriam turpitudinem  
 15 allegat



allegat & per consequens assensum non meretur. *arg. l. 5. C. de cond. ob turp. caus. l. 26. C. de transact.* Conf. Dd. supra n. 4. alleg. & imprimis Zangerum, qui exemplum Franciscinæ de Medicis, uxoris Martini de Brixii, Josephum Hebræum nominantis, refert.

Quæ cum ita se habeant, sponde exinde sequitur, non posse 16  
judicem ex hac sola matris designatione ad capturam procedere,  
aut personam stupri vel adulterij in simulatam in carcerem rapere,  
cum ad id inculpationes sociorum criminis nudæ, atque qualitatibus  
destitutæ nullatenus sufficiant, Tabor. *tr. de Confront. D. 1. th. 35.*  
Quamvis si persona stuprata inculpans extra stupri patientiam illæ- 17  
sæ famæ & vitæ sit, ac metuatur, ne iudicium, si designatus se sub-  
trahat, fiat elusorium, ad arrestum, quod multò mitius & civilius  
est, minusque ignominiosum, quam incarceration, deveniri sæpius  
soleat, *Mev. p. 3. D. 73. add. Id. in tr. de arrest. c. 3. n. 7. 18. 19.*

Pari modo nudam stupratæ vel adulteræ inculpationem nec 18  
ad inquisitionem specialem contra inculpatum sufficere existima-  
mus. Quod nullum quidem habet dubium, si inhonesta, sive vul-  
gatæ pudicitia mater, Dn. Stryk *in add. ad Brunnem. 7. Eccl. l. 2. c. 18.*  
§. 29. *Mev. d. dec. 73. Mascard. de prob. concl. 1318. num. 41.* suspi- 19  
ciones enim & indicia legitima Judicem ad instituendam veritatis  
investigationem & inquisitionem specialem invitare debent, Ta-  
bor *de Confr. D. 4. c. 2. th. 4. in fin.* qualia non oriuntur ab infami-  
bus & iis, quorum vita quædam sinistra famæ maculâ laborat,  
Zang. *de tort. c. 2. num. 61. & 69.* Dn. Stryk *d. l.* Quid autem si ei 20  
nihil objici possit & honestæ vitæ famæque sit, an ipsius nudæ as-  
sertioni tantum tribuendum, ut ea præsumtionem faciat, ob quam  
contra inculpatum inquiratur? Sanè id affirmat Mevius *d. dec. 73.*  
Cujus etiam sententia, si prætensus pater ita comparatus sit, ut cri- 21  
minis suspicio in eum cadere possit, secundum *art. 31. Ord. Crim.*  
§. 3um Biedten nihil fovet injusti, si enim leve cum nominatio-  
ne concurrat adminiculum ad specialem inquisitionem deveniri  
potest, Zang. *de tort. cap. 2. num. 48.* Menoch. *A. J. Q. L. 2. cas. 474.*  
*num. 25.* Verùm si vitæ integer scelerisque æque purus sit, illa mihi 22  
duriuscula videtur. Cum enim inquisitionis processus apud bo- 23  
nos & graves viros inquisiti famam minuat & existimationem ejus  
B qua-



- quadantenus lædat , Menoch. *l. 1. pres. 88. num. 10.* Cothman. *V. 3. Resp. 30. n. 155.* iniquum esset per inquisitionem honesti viri nomen , qui annocens, an innocens sit , adhuc incertissimum, in discrimen  
 24 dubiumve vocare : stante præsertim comuni illa Dd. opinione unô ore tradentium, solam stupratæ vel adulteræ , tanquam criminis fo-  
 cix, sive motu proprio, sive ad interrogationem Judicis , factam no-  
 minationem indicium ad inquisitionem specialem non facere , Fa-  
 rin. *Op. Cr. p. 4. l. 1. conf. 80. num. 20.* Boer. *dec. 299.* Carpz. *pr. Crim. p. 3. q. 108. num. 58.* Cothm. *d. Resp. 30. num. 133.* Dn. Stryk ad Brunnem. *7. Eccl. d. l. Tabor d. tr. D. 1. th. 35.* Menoch. *A. 7. Q. L. 2. cas. 474.*  
 25 *num. 56.* Mascard. *de prob. concl. 1318. num. 43.* & deficientibus de adulte-  
 rio vel stupro indiciis seu conjecturis, vel si adsint quidem , sed re-  
 motissimæ & levissimæ sint, Judicem processum inquisitionis insti-  
 tuere non posse, Bocer. *tr. de adult. cap. 3. num. 148.* add. Farin. *Op. cr. p. 1. qu. 2. num. 12.* Brunnemann. *Proc. Inq. c. 4. num. 2.* Carpz. *d. l. num. 61.*  
 26 Quod ipsum in casu nostro , ubi nobis de viro , de delictis im-  
 putatis non suspecto, sermo est, eò minus dubii habet ; Nam con-  
 tra talem istiusmodi adulteræ vel stupratæ denunciatio nullam  
 omnino vim obtinet , *Const. Crim. art. 25. §. 3. Art. 21. §. 3. junct.*  
*Bierden ibi : zudem mann sich dergleichen bezüchtigten Uebelthat ver-  
 sehen möchte / § art. 35.* Dn. Stryk ad Brunnem. *7. Eccl. d. l. Zang.*  
 27 *de tort. c. 2. num. 68.* Sicut enim vita nequiter & flagitiosè peracta  
 justam inducit criminis objecti credulitatem, ita è diverso bona fa-  
 ma de vita honestè & decorè gesta omnem ex tali nominatione re-  
 sultantem suspicionem expurgat ac facilè diluit, siquidem talis quis-  
 que præsumitur , qualis olim fuit , *l. 5. §. 6. ff. de re milit. ibique*  
 28 *Gothofr. in not. Tabor. de Confront. Disp. 4. c. 2. th. 13.* Zang. *d. tort. s. 2. num. 69. ibique cit.* Dn. Stryk *d. l.* Menoch. *A. 7. Q. L. 2. Cent. 5. cas. 474. num. 42.* elegantissimè Cicero *pro Syll. & pro Cluentio.* Ad ge-  
 29 neralem tamen inquisitionem, quæ ad id instituitur, ut sciatur, quæ  
 famæ origo, an & à quo delictum probabiliter commissum &c. hanc  
 matris assertionem sufficere, hic monere supervacaneum duco. Vid.  
 Farin. *Op. Cr. p. 1. qu. 43 l. 1. n. 135.*  
 30 Multo minus itaque ob solam hanc patris à matre infantis  
 factam designationem Confrontatio decerni poterit, quemadmo-  
 dum



dum ex hætenus de inquisitione speciali dictis, unicuivis facillimò  
 negotiò apparet, quibus enim in casibus ad inquisitionem specia- 31  
 lem tanquam antecedens proceditur, in iis etiam Confrontatio tan-  
 quam consequens & ejus pars locum invenit: Et contra destructo  
 antecedente, consequenter Confrontatio & omnia, quæ eam se- 32  
 quuntur, nullius momenti & effectus erunt. Atque hoc uti nul-  
 lum dubium habet, si mater inculpans malè audiat & meretrix aut  
 famosum scortum sit, *Mev. d. p. 3. D. 73. Carpz. pr. Cr. qu. 114. num. 78. seq.*  
 ita & in eo casu locum inveniet, quando persona designans alias ho- 33  
 nestæ vitæ fuerit, modò præsumptiones aut circumstantiæ Designatum  
 gravantes adsint nullæ, quoniam enim Confrontatio est actus maxi-  
 mè præjudicialis, odiosus & famam honesti viri, minimum apud ple- 34  
 bem, lædit, absque conjecturis & indiciis justis ad eam descen-  
 dendum non est, nec ei se vir bonus publicè privatimque commen-  
 datus committere tenetur, *Carpzov. pr. Cr. d. l. num. 77. Zang. de tort.*  
*c. 2. n. 50. seqq. Cothm. V. 3. R. 29. num. 456.* Nec refragatur huic nostræ  
 sententiæ *J. Ctisimus Tabor de Confr. D. 1. th. 24.* dum indistinctè 35  
 nominationem sociorum criminis speciale ad Confrontationem  
 præbere indicium tradit, sed amicè potius nobiscum conspirat, dum  
 generale hoc suum assertum, *Disp. 2. th. 2. in fin. ad casum, si omnia Art.*  
*31. Const. Carolinae* requisita concurrant, restringit, quæ ipse deinde 36  
*Disp. 4. c. 2. th. 3. seqq.* prolixè explicat.

Quod si itaque ad Confrontationem hoc modò perveniri ne- 37  
 quit, multò minus hæc à matre facta designatio nuda aliquod con-  
 tra Designatum sceleris participem facit indicium, ut inde equuleo  
 subjici possit, *Farin. Op. Cr. p. 1 l. 1. qu. 43. num. 82. seqq. Menoch. A.*  
*J. Q. l. 2. cas. 474. num. 23. Berlich. p. 4. concl. 27. num. 131. H. Pistor.*  
*Obs. 128. num. 1. seqq. per tot. Tabor. de Confr. D. 1. th. 35. Mev. ad J.*  
*Lub. L. 4. T. 6. art. 4. num. 4. Zang. de tort. c. 2. num. 47. seqq. num. 56. &*  
*num. 214.* ubi præjudicia afferuntur. Quæ res forsan nullum du- 38  
 bium haberet, nisi scrupulum injicerent quidam è Dd. affirmantes,  
 in crimine adulterij ob probationis difficultatem ex dicto socij cri-  
 minis præsertim jurato, si deficiat alia probatio, posse procedi ad  
 torturam, per *cap. continebatur X. de desp. impub. Mascard. de prob.*



- v.1. concl. 65. num. 14. & concl. 158. num. 4. Berous qu. 84. num. 7. Marian. Socin. l. 2. conf. 32. num. 17. Verum capitulum hoc non de causa criminali sed civili loquitur, & tantum disponit, quod assertioni mariti jurati se carnaliter cognovisse uxorem suam, licet ea contradicat, ad effectum impediendi separationem, favore matrimonij, credendum fit. De quo vide *cap. duo pueri X. Eod. can. si quis acceperit XXXIII. q. 1.* & eundem Masc. concl. 312. num. 23. sqq. & concl. 453. num. 14. Farin. *Op. cr. p. 4. l. 2. Dec. Crim. Rotæ Rom. 11. num. 2. & Dec. 192. num. 6.* ut proinde ab hoc casu longè diversissimum fit, nec commodè huc trahi possit. Verum uti hæc omnia de casu,
- 4<sup>o</sup> quando de nuda mulieris designatione quæstio est, exaudienda sunt, ita è contrario, si ea adminiculata sit, eique alia indicia & circumstantiæ accedant, aliud planè statuendum, & non tantum ad inquisitionem specialem, sed & ad confrontationem, imò ad torturam ipsam pro re nata procedi poterit, Berl. p. 4. concl. 27. n. 131. Carpz. *pr. Cr. p. 3 qu. 122. num. 77.* & de tali casu loquitur Farin. *Op. Cr. p. 4. l. 1. conf. 38. per tot. & num. 9.* Quænam vero sint talia indicia & requisiti, quæ hoc in casu, ut torqueatur adulter designatus, concurrant, necesse est, ego brevitatis amore omitto; Videantur interim Brunnem. *Pr. Inq. c. 8. m. 5. num. 2.* & imprimis Tabor *de Confr. D. 4. c. 2. th. 2. sqq. Zang. de tort. cap. 2. num. 57. seqq. num. 207. seq. & num. 215. mult. sqq.* ubi Designatum de copulæ carnalis nisu, conatu, sollicitatione vel interpellatione confessum, vel per testes convictum, fidei subijci posse proluxè statuit.
- 4<sup>3</sup> Illud certo certius est solam hanc Designationem nequaquam id operari posse, ut exinde designatus contradicens condemnari queat, ob text. express. in l. 17. §. 6. ff. ad l. Jul. de adult. l. 12. C. eod. cap. *significasti X. eod.* Bajard. *ad Jul. Clâr. rec. sent. l. 5. §. adulterium. num. 40.* Farin. *Op. Cr. p. 1. qu. 43. num. 82.* Berlich. p. 4. concl. 27. num. 130. probationibus enim ubi opus est, sola inculpatio non sufficit.
- 4<sup>4</sup> Hinc ergo sponte sua sequitur, quæstionem illam, an sponsa, si de stupro vel adulterio muliercula quædam sponsum diffamaverit, ob hanc inculpationem nuptias remorari, vel sponso suo repudium
- 4<sup>5</sup> mittere possit? negative decidendam esse, nec enim annuendum erit nimium delicatulæ sponsæ, quibuslibet vulgi rumoribus & incertæ



certæ meretriculæ cujusdam levisimæ assertioni fidem adhibenti, cum potius præsumptioni bonæ, quâ quilibet honestus censetur, donec inhonestus probetur, quàm injustæ detractationi fidere debeat, Vid. Carpz. *Jpr. Confist. l. 2. df. 234.* Eadem imò major erit ratio<sup>46</sup> in uxore contra maritum à fœmina quadam pariente concubitus adulterini infimulatum divortium seu separationem petente, quæ rationis identitas idem hic jus faciet, Carpz. *p. 4. c. 45. d. 3. num. 4.* ut nec hujus petitis deferendum, nec exinde arctissimum conjugij fœdus, quod Deus morte demum tolli voluit, laxandum sit.

Ita nec Collegia Opificum Designatum ab adultera quadam<sup>47</sup> Patrem à Collegio suo ullò modò removeere poterunt, Vid. Richt *V. 2. conf. 156.* non tantum ex eo, quod ita diffamatis nihil quicquam jure imputari queat, nullumque incommodum ex diffamatione hac afferatur, Carpz. *Jpr. Conf. l. 2. df. 234. n. 7.* sed in specie etiam inde, quod designatus pater ex hac designatione matris non infametur, nec ullam bonæ famæ aut existimationis jacturam sentiat, Moller. *in Comm. ad Const. Sax. p. 4. c. 45. num. 1.* Quod ipsum omni caret du-<sup>48</sup> bio, cum nec is, qui revera criminis adulterij reus est, ante sententiam condemnatoriam infamiæ detrimentum patitur, *l. 14. ff. de test.* Hillig. in Don. *l. 18. c. 7. lit. 1.* Conf. ea, quæ habet Dn. Beyer *d. Colleg. Opific. c. 5. num. 454. sqq.* Imo ne quidem id stupratæ vel adul-<sup>49</sup> teræ nominatio operabitur, ut exinde à sacra synaxi nominatus arceri possit, quando quidem innocentes sæpius inculpato esse docuit experientia. Quâ in re frequenter sacerdotes quosdam, in jus Dei,<sup>50</sup> solius cordium scrutatoris & de occultis judicantis, involantes peccare videmus, qui contra mandatum Jehovæ nudis præsumptionibus fidem haberi prohibentis *Deut. 19. v. 15.* Charitatis Christianæ regulam, peccata non exaggeranda sed potius tegenda præcipientis, & ipsius Christi Judam proditorem admittentis exemplum, illos, de quorum tamen facinore nobis nondum liquido constat, arcere conantur, Vid. Carpz. *Jpr. Conf. l. 2. df. 285. per tot. & in primis num. 14. 15. 16.* Brunnem. *de J. Eccl. l. 2. c. 1. m. 3. §. 13.* Rittershus. *Exposit. Novell. p. 1. c. 7. num. 75.* Quod si tamen Designatus quodammodo ob con-<sup>15</sup> versationem & turpes sermones cum persona designante habitos suspectus habeatur, moneri debet seriò, ne judicium longis an-



- fractibus protelando, Domini in occulta prospicientis pœnam acceleret, sed, ut citius fieri potest, innocentiam suam probet; Interim autem à communione abstineat sub promissione, quod in casu necessitatis seu morbi lethalis ei sacra cœna porrigi debeat: Atque tunc
- 52 si victricem obtinuerit sententiam publicè, è suggestu denuntiari solet eum consilio & hortatu superiorum ex causis prægnantibus Eucharistiæ usu abstinuisse, Lipsiensis relati in *Cas. Consc. ex variis Casuistis collectis*, curaque *Casp. Wachtleri Francof. editis cap. 15. sect. 2. qu. 14.*
- 53 Quæ ipsa omnia de suspicionibus ambiguis & dubiis intelligenda, si verò tanta contra inculpatum militent indicia, ut exinde facile convinci vel ad torturam trahi possit, Disciplina Ecclesiasticæ rigor & ne scandalum præbeatur postulat, ut sine deprecatione publica ad sacram cœnam non admittatur, *Carpzov. Jpr. Consist. l. 2. df. 286. num. 16. 17. add. pluribus Dn. Lyncker Disp. de eo, quod circa sacram Cœnam justum est, c. 5. n. 17. sqq.*
- 54 Ex qua decisione non difficulter & id colligi potest, ne Sacerdotem quidem, nisi alia ad inquisitionem sufficientia concurrant indicia, ex hac matris designatione suspendi ab officio posse, Vid. *Carpzov. Jpr. Cons. l. 2. df. 115. Brunnem. cent. 3. dec. 68. Dn. Hopp. Disp. Inaug. de Suspens. ab Offic. c. 3. num. 27. sqq. que est in Vol. 4. Disp. Dn. Strykij.* Aliud ergo est, si plura indicia concurrant, sicuti huc
- 55 referendus ille casus, quem refert *Besold. Thes. pr. Voc. Beicht de Parocho*, qui à pluribus mulieribus insimulatus, quod eas in confessionis actu tentaverit ad turpia, desuper tortus & non confessus
- 56 etiam à cura per annum suspensus fuit, si enim duo vel plures etiam criminis focij contra quendam confiteantur, illa nominatio est indicium ad torturam. *Berlich. p. 4. concl. 4. 116. Jul. Clar. rec. sent. l. 5. §. ult. qu. 21. n. 9. Boer. dec. 319. n. 6.*
- 57 Atque hæc quæ hæctenus dicta sunt, etiam obtinent, licet fœmina in extremo vitæ articulo aliquem de stupro vel adulterio in-
- 58 culpaverit, *l. 3. §. 1. ff. de St. Syllan. Boer. Dec. 299. num. 8.* Licet enim illis, quæ homo, dum in extremis laborat, enunciat, plurimum tribuatur, dum eo tempore præsumitur veritatem dicere, nec immemor esse salutis æternæ; cessat tamen illa præsumtio veritatis, si agatur de præjudicio tertij, cui morientis confessio nullò modò obest, *Mascard d. prob.*



*d. prob. v. 1. concl. 144. per tot. Farin. op. cr. p. 1. qu. 46. num. 1. seqq. Covarruv.*  
*Var. resol. l. 2. c. 13. num. 8. Gothofred. in not. ad d. l. Dd. apud Dn.*  
*Stryk. v. 1. Disp. 5. d. Effatis agonizantium c. 1. num. 11. Nec plenam* 59  
 ejusmodi designationi mulieris conciliat fidem, quod in stricto par-  
 tus dolore ab obstetricibus sub comminatione aliqua vel ficta mor-  
 tis annunciatione compulsa sit parturiens supratorem vel adulte-  
 rium indicare, Dn. Simon. *in Presid. Acad. Tom. 1. Diff. 15. de J. Obstetr.*  
*tb. 17.* quod si tamen partus tempore ad hoc monita, requisita aut 60  
 interpellata sit, ut illum, quem suæ prolis parentem esse prætendit,  
 in mediis partus doloribus adjuret, illaque id non fecerit, alio tem-  
 pore aliquem nominans se suspectam reddit, cum ut plurimum id  
 in ipso partu fieri soleat. *Christin. ad Consu. Mechl. T. 18. art. 4. num. 8.*  
 Imo etiam si fœmina inculpans ex hac propria sua confessione sit 61  
 adulterii condemnata, id ipsum tamen prætenso adultero nil quic-  
 quam præjudicat, *l. 17. §. f. ff. ad l. Jul. de adult. ibique Brunnem. in*  
*Comm. Farin. Op. Cr. p. 5 qu. 141. num. 108 Bocer. tr. de adult. c. 3. num. 8.*  
 Licet negandum non sit, hoc & priori casu, si vel parturiens 62  
 in mediis partus doloribus vel condemnata usque ad mortem in  
 Designatione sua constantissime perseveret, eamque suo quasi sup-  
 plicio obfignet, aliquale contra autorem perpetrati sceleris indici-  
 um oriri, quod tamen tantum non est, ut inde designatus, aliis cir-  
 cumstantiis deficientibus, statim pro confesso & convicto haberi  
 queat, Dn. Stryk *ad Brunnem. J. Eccl. l. 2. c. 18. §. 29.* Dn. Simon. *d. l.*  
 Sanè peccare non videbimur, si judicis prudentis & cordati arbi- 63  
 trio hæc omnia esse committenda dixerimus, qui, an tali assertioni  
 aliqua fides haberi possit, ex circumstantiis aliis & personæ de-  
 signantis & designatæ conditione dijudicabit, & quis ei de jure effe-  
 ctus tribuendus circumspectè dispiciet. Ex eo verò nihil huic De- 64  
 signationi accedet roboris, quod in judicio facta sit, locus enim  
 probationi nihil addit, & quamvis in judicio mentiri mortale vul-  
 gò reputetur peccatum, experientia tamen docet, nullibi ferè ma-  
 gis mendacia committi, quam in judiciis. Idem erit, si eò, ut exem- 65  
 plum novi, quarundam rabies ascendat, ut in publico quem ado-  
 riantur & ibi eum patrem fœtus sui recens nati esse clamitent, hoc  
 enim tantum abest, ut ipsarum dictis fidem addat, ut potius ani-  
 mum



- mum plane degenerem arguat & certissimum profligati pudoris sit indicium. Quamvis non negemus in hisce casibus certum etiam effectum producere locum, de quo infra cap. ult. n. 7. Major dubi-
- 66 ratio esse posset, an mulier aliquem mediante juramento Patrem infantis sui designans fidem mereatur, cum neminem salutis æternæ immemorem fore & inconsulto & falsò juraturum leges præsumant;
- 67 *Mev. p. 2. D. 6. n. 7.* Verùm hoc non obstantè negativam *Dd.* tuentur communiter, *Berlich. p. 5. concl. 38. num. 52.* *Theaur. dec. pedem 3. num. 4. in pr.* *Sande Dec. Fris lib 1 T. 10. df. 2.* *Christin. ad C. Mechl. T. 18. art. 4. num. 11.* Et rectè; sponte enim & in propriam utilitatem juratò quid asserentibus non creditur, cum omnis fere juramenti vis à delatione dependeat. *Farin. Op. Cr. p. 4. l. 1. conf. 43. n. 5.*
- 68 Idem dicendum si stuprata vel adultera ad confirmandam suæ assertionis veritatem Eucharistiam susceperit, wenn sie das S. Abendmahl drauff genommen. In simili *Farin. Op. Cr. p. 1. qu. 46. num. 46.* & *p. 4. l. 2. conf. Cr. 127. num. 37.* *Mascard. de prob. v. 3. concl. 1135. n. 13.* quamvis enim hoc apud Pontificios usitatum sit & hæ papisticæ consuetudinis reliquiæ apud nos etiam, præsertim plebem, invaluerint, cum tamen Sacramentum hoc non in testificationem, sed in fidei nostræ confirmationem & ad mortis Domini commemorationem institutum sit, factum dubium per ejus usurpationem certò explorari aut fallaci huic probationi fides haberi nequit, *Balduin. relatus in Cas. Consc. cur. C. Wächeleri Francof. editis cap. 15. Sect. 2. qu. 20.* *Brochmand. Syst. Univ. Theol. L. de Cena Domini cas. consc. 21.* *Conf. Dn. Lynker all. Disp. de eo quod circ. Sac. Cæn. just. est. c. 6. §. 2. sq.*
- 70 Quod si in tortura fœmina infantis patrem designaverit, nec hanc quidem designationem contra Designatum aliquid probare dicit *Farin. Op. Cr. p. 4. l. 1. conf. cr. 80. num. 20.* quod tamen axaudiendum erit de casu, ubi ea, quæ Imperator Carolus V. in *Const. Crim. art. 31.* requirit, non adfuerunt, alias enim certum est positis terminis habilibus ad torturam omninò deveniri posse. Vid. *Tabor.*
- 71 *cr. de Indic. Delictor. ad d. art. 31.* Quin imò ne quidem Designatio patris à matre infantis per modum testificationis facta in iudicio adulterium seu stuprum probabit, nam eodem infectum crimine
- contra



contra socium in idoneum esse testem, juris est tralatitij. l. 11. C de test.  
 Farin. Op Cr. p. 1. l. 1. qu. 43. num. 83. Masc. V. 3. concl. 1318. num. 8. Tabor.  
 de Confr. D. 1. th. 35.

Sed quid si mulier cum aliquo in una eademque domo habi- 72  
 tans imprægnata, eum, cum quo habitat, designet patrem? Equi-  
 dem videri posset contra Designatum præsumendum esse, cum faci-  
 lis unà degentibus ad complexus venereos esse possit occasio; Ve- 73  
 rum cum à posse ad esse nulla valeat consequentia, nec illius asser-  
 tionis, se ex eo concepisse prolem, debere stari verius est. Boer. dec.  
 299. num. 1. in fin. Berl. p. 5. concl. 38 num. 50. Unde nec famulæ ute- 74  
 rum ferenti & se ab hero suo, etiam viduo, compressam esse asse-  
 renti credendum esse, eleganter decidit Sande Dec. Fris. l. 1. T. 10.  
 def. 2. Masc. de prob. concl. 789. num. 33. quicquid etiam dicat Ayrault  
 en ses playdoys playdoy. VI. à Sandio citatus, Nam, uti verbis qui- 75  
 dem barbaris, veritati tamen ut plurimum congruis dicit Boer. d. l.  
 n. 2. Istæ ribaldæ ancillæ semper suis dant Magistris, tanquam ma-  
 gis pro se & nato apparentioribus, quamvis conceperint ab alio ser-  
 vitore, clerico vel stabulario, cocove, qui sibi de offa dat vel jure pin-  
 gvi ad comedendum.

Si igitur tot speciosæ circumstantiæ nihil quicquam ad validi- 76  
 tatem hujus designationis conferunt, certe eò minorem adhuc me-  
 rebitur fidem, si præterea adsint præsumptiones, quæ ipsam designan-  
 tem mendacii quodammodo suspectam reddunt: Ut si in desi- 77  
 gnando variet, vel ab initio reticeat criminis sui libidinosi partici-  
 pem, postea vero s. sponte s. interrogata eum nominet, qualem ca-  
 sum in terminis refert Tabor d. Confront. D. 1. th. 40. ubi problema  
 proponit, an nobilis, quem ancilla vilis designavit, cum ea confron-  
 tandus sit? Add. Farin. Op Cr p. 1 qu. 43. num. 185. & 186. Est enim va-  
 riatio in jure odiosa, certitudini contraria, & inducit suspicionem,  
 si non falsi, utique tamen incerti, Tabor d. tr. D. 4. th. 14. Dn. Mar- 78  
 tini in Comm. ad Ord. Jud. Sax. Tit. 29 §. 2. num. 5. Par esto judi-  
 cium de illa, quæ ad designati petitionem nec locum, nec annum,  
 nec mensem, nec diem, ad quod tamen de jure tenetur, exprimere  
 audeat, verita fortean, ne inculpatus exinde suam innocentiam de-  
 ducat, & quod loco & tempore expresso alibi fuerit, doceat, Vid.  
 C Gail.



Gail. l. 1. O. 64. num. 3. 9. & 11. Wefenbec. in par. ff. tit. de accus. num. 12.  
 Carpzov. l. 2. Resp. Elect. 56 num. 18. 19. Zang. de Exc. p. 2. c. 14. num. 32.  
 79 & latisimè Bocer. de adult. c. 3. num. 88. & mult. seqq. Unde etiam,  
 si mater designans re in iudicium deducta, prout alicubi styli, posi-  
 tiones super concubitu, sine temporis adjectione, formet, ad eas re-  
 spondere designatus non tenetur & recusans pro confesso haberi  
 nequit. Vid. Mynf. Cent. 1. O. 92. ibique Fabricius, Ummius ad Proc.  
 Disp. 13. n. 21. & 23. Rosbach. Pr. Civ. Tit. 52. n. 13. Speculator, l. 2. T. de  
 posit. §. 9. in add. ad Verb. autem non.

80 Quandoquidem ergo mulieres vitiatae ex sola designatione sua,  
 uti in superioribus sole meridiano clarius probatum dedimus, nihil  
 salutis sperare habent, confugiendum eis est ad probationes, quae,  
 cum actus hic plerumque in tenebris & absque arbitris expediri so-  
 leat, difficillimae sunt, ut hic illud Philosophi veritatem in imo puteo  
 81 demersam esse verissimum experiantur, sibi que non jus sed proba-  
 tionem deesse intelligant: Tunc demum sapiunt Phryges & nimis  
 serò irreparabile suum damnum multis lacrymis deflent; Ve-  
 rum cum in pudore & virginitate amissa planè cesset Edictum Prae-  
 toris de restitutione in integrum, & ea ne sanguineis quidem lacry-  
 mis revocari queat, aliud misellis mulierculis quarendum reme-  
 82 dium, itidem tamen admodum fragile & anceps. Nimirum si illa  
 praetensum infantis sui patrem paulò religiosiorem & non facile  
 pejeraturum sperent, ad ipsius conscientiae iudicium, iuramentum  
 deferendo, provocant, eumque ita in propria causa constituunt Ju-  
 dicem, ubi si designatus interiori conscientiae testimoniò convi-  
 83 ctus jurare recuset, pro confesso habebitur, sin referat, illudque ma-  
 ter designans praestet, ejus iuramento stabitur, Theff. Dec. 3. num. 4. in  
 fin. & num. 5. Sande Dec. Fris. l. 1. T. 10. df. 2. Christin. ad C. Mechl. T. 18.  
 art. 5. n. 3. Concipiendum autem tale iuramentum tantum simpli-  
 84 citer super sola copula, non etiam super aliis factum hoc aggravan-  
 tibus. Casp. Ant. Theff. in add. ad d. Dec. 3. num. 3. Berl. p. 5. c. 38. num.  
 54. Unde sequitur etiam ab adultera, contra designatum patrem.  
 85 ad alimenta consequenda agente, hoc iuramentum deferri posse:  
 Et non obitare nobis, in causis famosis Juramenti delationi locum  
 non esse, quod praeterea falsum esse apertissimè constat ex l. 9. §. 2.  
 ff. de



*ff. de Jurei.* Vid. Dn. Nævius *Disp. speciali de Juramento delato super causa famosa.* Sicuti nec id nostram sententiam destruet, quod 86 persona stuprata & adultera vilis, infamis, ac de perjurio suspecta sit, cui juramentum referri nequit, referendi enim impossibilitas non statim impedit juramenti delationem.

Alia hic eaque ardua à designatis patribus moveri solet quæ-87 stio, qui ut plurimum Juramentum à designante indefinitè sine temporis adjectione delatum præstare recusant, & ut ejus formula ad certum tempus, intra quod conceptio fieri potuit, restringatur exposcunt, quænam igitur hic partes judicis, qui litigantibus in concipienda juramenti formula dissentientibus eam præscribere debet? Nobis hic tres casus distinguendi videntur: Aut (1) Mater 88 contra patrem suæ sobolis designatum agit ad matrimonium promissum consummandum: Et tunc judex designati petitis deferet & Juramento certum illud tempus conceptionis adjiciet. Cum 89 enim stuprator designatus tali in casu stupratam, si cum aliis postea concubuerit, ducere non teneatur, nihil relevaret confessio designati Juramento extorta, quod antea cum ea consueverit eique tunc matrimonium promiserit. Sicut autem in probatione, ita & hic ad 90 jurandum admittendum non est, quod juratum non relevat, *c. 26. X. de jurej. l. 34. §. 8. ff. eod. ibique Brunnem. num. 16. Carpz. p. 1. c. 15. d. 9. & in Proc. T. II. a. 3. num. 118. Ludov. Günther. Martini in Comm. ad Ord. Jud. Sax. Tit. 18. §. 9. num. 85. Mev. p. 6. d. 31.* Aut (2) alternativè contra designatum, ut ducat aut dotet, agitur: Et 91 cum hic primus, qui eam compressit, illam dotare teneatur, non erit hic audiendus Designatus, si ad dotationis onus declinandum de certo tantum tempore jurare paratus sit, quia regulariter à juraturo præstandum Juramentum eâ formâ, quâ delatum. *l. 3. §. ult. ff. de Jurej.* ibique Brunnem. *num. 1.* Martini *d. l. 79. & 80.* Aut (3) 92 Mater designans, ut alimenta infanti præstentur, agit: Et hoc quoque casu, ne hominum malitiis indulgeatur, ad juramentum simpliciter præstandum à Judice compellendus: Cujus nostræ assertionis 93 rationem vide cap. seq. n. 7. Idemque fortean temperamentum superiori nostræ sententiæ n. 79. h. cap. traditæ addendum.

Quod si verò Designans Juramentum hoc judiciale deferre ne- 94  
 C 2 glexerit,



glexerit, poterit iudex vel ex officio, vel ad instantiam mulieris, si alia conjectura cum Designatione concurrant, correo nominato Juramentum purgationis imponere, Sande *Dec. Fris. l. 1. T. 10. df. 2.*  
 95 Dn. Stryk *ad Brunnem. 7. Eccl. l. 2. c. 18. §. 29.* Nam ob nominationem nudam deficientibus aliis adminiculis non puto ad spirituales hanc torturam deveniri posse, per vulgata & arg. dictorum  
 96a Carpzov. *pr. Cr. p. 2. qu. 96. num. 58. & p. 4. c. 43. df. 6.* Cujus unicam & notabilem in J. Can. reperimus limitationem in Clericis, quibus ex sola adulteræ inculpatione, ne infirmorum corda malâ famâ ipsorum percutiantur & ne vituperetur ministerium, nequè securiores presbyteri in peccatum licentiùs prolabantur, juxta Judicis arbitrium purgatio indicitur, *c. 5. X. de adult. add. c. Presbyter & Can.*  
 97 *si mala fama II. qu. 4.* Caterùm rectè monet Dn. Brunnem. *in 7. Eccl. d. l.* magna hac in parte cautione opus esse judici, ne perjurium committatur: Unde cum prompti sint sapius ad jurandum amatores illi, postquam explendæ libidinis copiam habuerunt, gravis hic admonitio de vitando perjurio præcedat necesse est, cui, ut eò gravius concilietur pondus, Ecclesiæ ministros, qui jurantis conscientiam moveant, adhibendos esse non abs re svadet Illustr. Dn.  
 98 Stryk *ad Brunnem. 7. E. d. l.* Deinde ad id sollicitè respiciat Iudex, ut designatus jurans sit persona fide digna, nec de perjurio suspecta: Et ut stuprata vel adultera aliàs honestæ fuerit famæ; Nam inhonestæ contra virum bonum prolata inculpatio ad juramentum purgatorium imponendum non sufficit. Dn. Brunnem. *d. l.* ibique Dn.  
 99 Stryk *in Resp. Fac. Francof. Mev. p. 3. D. 73.* Illam autem purgationem, quâ, ut refert Brochmand *Syst. Un. Theol. L. de Cæn. Dominica cas. consc. 21.* jubente Pontifice maximo per Cænæ Dominicæ usurpationem se purgavit Rex Lotharius, de illicita cum pellice Waldrada consuetudine suspectus, meritò rejicimus. Vid. *supr. n.*  
 100 68. seq. Ex quibus jam dictis cuivis manifestum erit, multò minùs exinde ad suppletorium Juramentum fœminam designantem admittendam esse. Sande *Dec. Fris. l. 1. T. 10. d. 2.* hoc enim ut locum habeat semiplena probatio requiritur, quæ hoc in casu deest, cum fœminæ designationem per se nullius efficaciam esse superiùs jam toties quoties fuerit dictum.

Coro-



Coronidis loco adhuc adjiciendum, quod, cum in casu, quan-<sup>101</sup>  
do fœmina à pluribus per adulterium cognita est & meretricio  
more vixit, non nisi primus concumbens ordinariò mortis suppli-  
ciò, reliqui verò mitiori afficiantur pœna, l. 22. C. ad L. Jul. de adult.  
Beust. de matrim. p. 2. c. 19. Moller l. 2. Sem. c. 36. Theodor. Coll. Cr. D. 6.  
th. 2. lit. g. Gail. p. 1. Conf. 5 num. 1. Judex omnem movere debeat  
lapidem, ut, quis primus ille fuerit, cognoscat, quod si investigare ne-<sup>102</sup>  
queat, designationi adulteræ hac in parte standum erit, hæc enim  
ad illum, qui post alium cum fœmina consuevit, à pœna mortis or-  
dinaria liberandum sufficiet. Vid. latè Carpz. Pr. Crim. p. 2. qu. 57.  
n. 76. seqq.

### CAPUT III.

DE

#### Effectu hujus Designationis, quoad Infantem. SUMMARIA.

**C**onnexio n. 1.  
Designatio matris non prodest in-  
fanti. n. 2.

Infans non potest uii nomine designa-  
ti. n. 3.

Non succedit designato n. 4.

Designatus non tenetur alere infan-  
tem. n. 5. sq.

Nisi concubitum conficatur n. 7. sq.

Modò alium patrem demonstrare non  
possit. n. 13.

Quid si tempus illud, quò se cum fœ-  
mina concubuisse quis fatetur, non  
conueniat cum tempore conceptio-  
nis? n. 14. seq.

Quid si fœmina vulgata sit pudicitia?

**L**ustravimus Cap. præc. quid designatio matris quoad personam  
Designatam operetur, impræsentiæ autem, quem quoad  
ipsum infantem effectum habeat, dispiciemus. Ubi, ut hujus cap.

n. 18. seq.

Designatio matris non nocet infanti,  
sed infans præsumitur mariti, licet  
mater contrarium dicat n. 22 sq.

Ampl. licet constet maritum & adul-  
terum cum fœmina consuevisse  
n. 26 sq.

Licet fœmina per aliquot menses se-  
paratim cum adultero commorata  
fuerit. n. 28.

Licet fœmina diu antea fuerit sterilis.  
n. 29.

Licet infans adultero sit simillimus.  
n. 30.

Dummodo tamen maritus uxori suæ  
cohabitaverit. n. 31.



- contenta unô verbô complectar, deprehendemus istiusmodi Designationem Patris à matre factam infanti nec prodesse nec etiam nocere. Neque enim propter hanc Designationem, ut partum pro suo agnoscat, designatus compelli potest, cum in dubio semper in partem meliorem & ut excludatur delictum præsumendum sit, *arg. l. 51. 1. ff. pro soc. quod fit in hoc nostro casu, si Designatum parturientis uterum non implese dicamus. Zang. de iori. c. 2. n. 214. sub fin. Berl. p. 5. concl. 38. num. 50. 51. Sande Dec. Fris. l. 1. Tit. 10. df. 2.*
- Unde nec prætensi patris nomine, insignibus aut aliis ejusdem familiae competentibus juribus & prærogativis infans ille uti poterit. Vid. Struv. *S. J. C. Exerc. 3. th. 27. Knipschildt de Fideic. Famil. cap. 8. num. 291. & mult. sqq.* Nec etiam ad ejus hereditatem ab intestato admittendus est, cum ex hac designatione paternitas aut filiatio nullô modô probetur, uti pluribus capite præcedenti demonstratum. Imò designatus pater nec infantem tali partu editum alere tenetur. *Theff. Dec. 3. num. 4. Sande Dec. Fris. l. 1. T. 10. d. 2. Christin. ad C. Mechl. T. 18. a. 4. num. 10.* Is enim demum ad alimenta tenetur, qui in judicio de partu agnoscendo convictus est, *Lauterb. Comp. J. Civ. tit. ff. de agn. & al. lib. & mulieribus ex stupro imprægnatis ad sui exonerationem, ut nutritionis & alimentationis onere se liberent, aliquid asserentibus credendum non est. Boer. D. 299. n. 2.* Harum siquidem inter incommoda & hoc connumeratur, ut, si concubitum patris designati, sed contradicentis, probare nequeant, ipsæmet proli alimonia suppeditare teneantur; ex *Menoch. Christin. ad C. Mech. d. l. n. 11.* Quod si tamen Designatus se cum muliere gravida concubuisse inficias ire nequeat, ut ut se infantis patrem esse constanter & præfractè neget, infanti provisionaliter alimenta præstare tenebitur; *Faber in suo Cod. tit. ad l. Jul. de adult. df. 6. Berl. p. 5. concl. 38. n. 37. Carpzov. Jpr. Cons. l. 2. df. 232. n. 6. Dn. Stryk. ad Brunn. J. Eccl. l. 2. c. 18. ad §. 28. Christin. ad C. Mechl. d. l. n. 7. Boer. Dec. 299. in fin.* Sententia enim hæc de alimentis tanquam summaria & provisionalis, non est impedimento parenti, quo minus postea de filiatione in ordinario judicio agere & contrarium legitime probare possit. *l. 5. §. 9. ff. de agn. & al. lib. Struv. Jpr. R. G. For. l. 1. Tit. 15. aph. 8. Brunnem. ad d. l. 5. ff. de agn. & al. lib. n. 23.*



*num. 23.* Atque hæc alimenta non quidem post triennium demum, 9  
 uti arg. *l. pen. C. de patr. potest.* existimant Coler. *p. 1. dec. 176. num. 9.*  
*Bart. de aliment. num. 13.* sed statim ab eo tempore, quò infans na-  
 tus est, præstanda sunt; cum *d. l. pen.* ad alimenta lactis restringen-  
 da sit, Gothofr. *ad d. l. pen. C. de patr. pot.* Vid. *l. 3. C. de alend. lib.*  
*Carpz. p. 4. c. 27. df. 5.* Finckelth. *Obs. 102. num. 16.* Brunnem. *ad*  
*d. l. pen. num. 5. sq.* Equidem, ut hoc in casu fœmina, mediante ju-  
 ramento, partum esse illius viri, quem ipsa designavit, asseveret,  
 requirunt Berl. *d. l. Thesaur. d. dec. 3. num. 4.* Struv. *Jpr. Rom. Germ.*  
*For. d. l.* Verùm ne quidem matris juramentum necessarium & 11  
 confessio de stupro simpliciter partus alimentationem injungendam  
 esse non adeò improbabilis est sententia Carpzovii *d. l. n. 9. & Pr.*  
*Crim. p. 2. qu. 68. num. 116.* Cum enim præsumptione juris stuprata 12  
 se virginem & honestam asserenti fides habeatur, Berl. *p. 5. concl.*  
*38. num. 63.* ibique allegg. plures Masc. *de prob. V. 3. concl. 1410.*  
*Carpz. Jpr. Consf. l. 2. df. 239. num. 1.* & aliud dicenti probandi onus  
 incumbat, Schneidew. *ad §. 23. num. 14.* *J. de uel. Moller. ad Const. 27.*  
*num. 8.* Jul. Clar. *§. stuprum num. 4.* & ibid. Bajard. *in add. num. 26.* &  
*sqq.* ejus assertioni eò usque in quæstione hac de alimentis, ubi levio-  
 res probationes sufficiunt, stabitur, donec stuprator confessus etiam 13  
 præsumtivè & verisimiliter per conjecturas & indicia probet, quod  
 ex aliis sit conceptus filius, de cujus patre disceptatur, ita enim ab  
 alimentis liberabitur. Christin. *ad Corfu. Mechl. T. 18. art. 5. num. 3.*  
 Berl. *p. 5. concl. 38. num. 59. & 92.* ubi hujus farinæ conjecturas re-  
 censet. Vid. tamen Carpz. *Jpr. Consf. l. 2. df. 239. num. 3. sqq.* Quid 14  
 autem dicendum, si Designatus concubitus non simpliciter, sed  
 adjecto certo tempore, conceptionem infantis, de cujus alimentis  
 quaritur, longè antecedente, confiteatur? Nihilominus eum ad  
 alimenta partui suppeditanda cogendum esse tradit Dn. Struv. *Jpr.*  
*Rom. Germ. For. l. 1. T. 15. a. 8.* & secundum hanc sententiam in Confi-  
 storio Clivenfi in puncto alimentorum pronunciatum esse memini:  
 quod favore alimentorum, quæ moram non patiuntur, ita receptum 15  
 est, cui accedit & hoc, misellis his mulierculis, quantum salvâ ju-  
 stitiâ fieri potest, favendum esse, quod omnia ferè Consistoria usu  
 comprobant & irreparabilis jactura stupratae illata suadet; in simili  
 Carpz.



16 Carpzov. *Jpr. Consist. l. 2. d. 25. num. fin.* quamvis si hoc in casu Designatus eo tempore, quò probabiliter facta esse potuit conceptio, se absentem & longis locorum intervallis à stuprata determinatum fuisse probet, iniquissimum censerem, eum, de quo, quod pater non

17 fit, certò ita constat, alimentacionis onere gravare. Sicuti nec illis in locis dicta sententia procedet, ubi per statuta contrarium introductum. Vid. *Stat. Mechlin. Tit. 18. art. 5.* ubi disponitur, quod jurare debeat stuprator se intra annum retrò à mulieris partu cum ea corpus non commiscuisse.

18 Cum verò supra n. 12. tradita præsumptio honestas tantummodò præsupponat fœmellas, exclusas hîc volumus illas, ad quas facilis cuilibet fuit accessus, tantum enim abest, ut his, licet stuprum confiteatur Designatus, hac in parte fides habeatur, ut potius etiam præsumptio sit contra eas. Struv. *Jpr. R. G. F. d. l. Christin. ad Consv. Mechl. T. 18. a. 4. n. 6.* Ita enim pater plane incertus est, de quo

19 rectè Gloss. in § *si adversus J. de nupt.*

Cui pater est populus, pater est sibi nullus & omnis,

Cui pater est populus, non habet ille patrem.

20 Add. Gail. *l. 2. Obs. 97. num. 1.* Boer. *Dec. 299. num. 12.* Imò licet non omnibus ad stupratam patuerit aditus, nec illa plane meretricio more vixerit, si tamen plures cum ea concubuisse probari queat, ab alimentis designatum patrem absolvendum esse vult Carpzov. *Jpr. Consist. l. 2. d. 239. num. 1.* à qua tamen sententia recedit Dn. Brunnem. *ad l. 5. de agn. et al. lib.* ubi favorem alimentorum aliud svadere dicit, & hoc casu confessum teneri, usque dum de aliis constet, & tunc omnes conferre debere; si verò cœteri non adsint, posse compelli confessum, ut præstet alimenta integra, præsertim si mater alimentis liberis par non sit.

22 Vidimus ita Designationem patris à matre factam parum vel nihil partui prodesse, jam nec illam partui nocere, exemplò, quod in adultera & maritata tantum accidere potest, demonstrabimus: Si enim mater filium in matrimonio natum ex adultero quodam conceptum asseveret, ei tamen, ceu propriam turpitudinem alleganti, favore matrimonii contra filii legitimitatem nulla fides habetur, *l. 29. §. 1. ff. de prob.* ibique Brunnem. *num. 1.* Gail. *l. 2. Observ. 97. num. 8.*

Menoch.



Menoch. *A 7 Q. l. 2. Cent. 1. cas. 89. num. 21.* Christin. *ad Conf. 23*  
*Mechlin. Tit. 18. c. 4. num. 3.* Boer. *D. 299. num. 2. & 3.* Jura namque  
 nostra præsumunt, prolem ex uxore natam, cum qua maritus nu-  
 ptias celebravit, & tempore conceptionis moratus est, legitimam  
 & justam esse *l. 6. ff. de his qui sui vel al. jur. ibique Brunnem. num. 1.*  
 Struv. *S. 7. C. Ex. 3. th. 43.* Boer. *Dec. 299. num. 1. & num. 9.* Christin.  
*ad C. Mechl. d. l. num. 4.* Inde Lucinum Vice-Comitem inique priva-  
 tum fuisse Mediolanensi Principatu ob id, quod Elifabetha ejus  
 mater affirmasset illum non ex marito, sed ex adultero procreatum,  
 dicit Menoch *presumpt. l. 6. pres. 53. num. 8.* & malè sibi consuluisse Re-  
 gem quendam, quod ob assertum matris morientis, ipsum non Re-  
 gis, sed militis cujusdam esse filium, regno se abdicaverit, notat  
 Palzott. *tr. de noth. & spur. c. 24. num. 1.* Nec obstabit quicquam quod  
 mulier hic per propriam confessionem sit adulterii & alieni partus  
 marito suppositi convicta, cum enim confessio confitenti tantum  
 noceat, inde nullum infanti præjudicium creabitur, Gail. *d. l. num. 7.*  
 Masc. *v. 3. concl. 789. num. 6.* ex qua ratione quoque nec aliud statu-  
 endum erit, licet morte vel juramento professionem suam confir-  
 maverit. add. ea, quæ adducta *cap. præc. n. 57. & 66. seqq.*

Extendunt hæc Ddres ulterius & filium ex uxore, cum qua & 26  
 maritum & adulterum consuevisse constat, natum, nihilominus le-  
 gitimum & ac si mariti esset, adulteræ designatione non attenda,  
 habendum esse pronuntiant Menoch. *l. 6. pres. 53.* Masc. *d. l.* In am-  
 bigua enim causa, quæ modicum pro infante facit, ut non videat-  
 ur evidenter filius non esse, rectius filio favori dicunt *arg. l. 3. §. 4. ff.*  
*de Carb. Edict.* Unde consequentiam ab adulterio matris ad ne-  
 gationem filii negat Jctus in *l. 11. §. 9. ff. ad l. Jul. d. adult.* cum  
 posset & illa adultera esse, & infans maritum matris patrem habu-  
 isse. Conf. Gail. *2. Obs. 97. num. 7.* Nec aliud esse volunt Ddres in ca-  
 su, quò mater, duos menses cum adultero morata separatim à viro,  
 postea rediit, & septimo mense à reditu partum edidit, cum tunc  
 partus præsumatur septimestris atque ita conceptio honesta. Vid.  
*l. 12. ff. de stat. hom.* Quin & idem statuunt, licet fœmina, quæ 29  
 diu sterilis fuit, pariat: Edocti namque sumus quosdam amplius  
 quam biennium temporis non valentes, postea potentes ostensos, fi-  
 liorum

D

liorum



liorum procreationi operam dedisse, inquit Imperator *Nov. 22. c. 6.*  
 30 vid. *Gail. d. obs. 97. n. 12.* Menoch. *d. pres. 53. n. 14.* Sicuti quoque idem ob-  
 tinere tradunt, licet infans disformis fuerit marito, adultero verò fi-  
 millimus, *Gail. d. l. num. 10.* Pontan. *d. aliment. c. 3. num. 8.* similitudo  
 enim illa vel disformitas accidens quoddam est, & ex imagina-  
 tionē atque forti mulieris impresione tempore conceptionis facile  
 contingere potest. Vid. Menoch. *d. pres. 53. num. 45.* Umm. *Disp. ad*  
 31 *Proc. 15. n. 52.* Verum hæc omnia ita tantum procedent, dummodo  
 maritus tempore conceptionis præsens fuerit & uxori suæ cohabi-  
 taverit, si enim constet maritum aliquandiu cum uxore non con-  
 cubuisse, infirmitate interveniente, vel alia ex causa, vel si ea valetu-  
 dine paterfam. fuit, ut generare non possit, aliud omnino, quod  
 nimirum filius non mariti sed adulteri sit, dicendum erit, monente  
 JCo in *l. 6. ff. de his qui sui vel alien. jur.* & ibi Dd.

## CAPIT IV.

DE

Effectu hujus Designationis, quoad  
 Matrem designantem.

## SUMMARIA.

**C**onnexio. n. 1.

Designatus contra feminam desi-  
 gnantem habet actionem injuria-  
 rum. n. 3. sq.

Pæna designantis ex arbitrio Judicis  
 exasperari potest. n. 6.

Ut si id factum in loco publico. n. 7.

Si persona designata in dignitate con-  
 stituta. n. 8. sq.

Si Studiosus. n. 10.

Mitigatur pæna, si femina concubi-  
 tum probare possit. n. 11. sq.

Licet saltem per conjecturas. n. 14.

Item, si Designato ob indicia injunctum

Juramentum purgationis. n. 15. sq.

Vel etiam in designante cesset animus  
 injuriandi. n. 17.

Quid si errorem prætendat? n. 18.

An ob hanc designationem & confes-  
 sionem de adulterio locus sit di-

vortio? n. 19. sq.

An mulier ex sola hac designatione  
 pæna adulterij ordinaria affici pos-

sit? n. 23. sq.

Supereft



**S**uperest nunc, ut visô, quid justum sit circa Designationem  
 patris à matre factam quoad Designatum & infantem, tandem ad  
 ipsam matrem designantem veniamus, & quem quoad illam opere-  
 tur effectum, paucissimis dispiciamus, qui ipse non in comòdo & u-  
 tilitate quadam, sed potius in pœna consistit, quam ex levitate & te-  
 meritate sua, dum aliquem, probationibus destituta, patrem suæ  
 prolis nuncupat, incurrit: Cum enim illud ipsum existimationem  
 & famam nuncupati lædat, reip. utilitas pœnarumque finis postu-  
 lat, ut talia in insigne tertii præjudicium prolata coerceantur & de-  
 signantes posthac cautius mercari discant: Unde concesserunt jura  
 Designato contra ejusmodi fœminam, seu solutam seu maritalam,  
 actionem injuriarum, quâ famam tueri & sibi illatam injuriam ul-  
 cisci possit, Moller *ad const.* 45. p. 4. n. 2. & 4. Carpz. p. 4. c. 45. d. 3. & Pr.  
*Crim.* p. 2. qu. 96. num. 50. sq. Quod uti quidem de quavis specie  
 actionis injuriarum extra dubium, ita tamen ut eò puniatur gra-  
 vius Designans cautela est pro Designato, ut actionem illam insti-  
 tuat criminaliter: Cum enim injuria hæc sit atrocissima, quæ vix  
 cum alia verbali comparari possit, & cum maxima honestorum vi-  
 rorum infamia conjuncta sit, judicis arbitrio committitur, num præ-  
 ter recantationem mulctâ pecuniaria, vel relegatione, vel incar-  
 ceratione temporaria, imò etiam fustigatione & perpetua relega-  
 tione mulierem inculpantem punire velit, Carpzov. p. 4. c. 45. d. 3. &  
*Jpr. Conf.* L. 2. d. 234. Menoch. A. J. Q. L. 2. Cent. 9. cas. 331. Masc.  
*V. 1. concl.* 350. num. 36. Berl. p. 4. concl. 68. num. 6. sq. Richter V. 1. p. 5.  
*cons.* 21. num. 3. Hoc tamen arbitrium judicis nequaquam cerebrum  
 num, sed juris regulis congruum esse debet: Hunc enim circumspe-  
 ctè omnes delicti circumstantias & qualitates perpendere, & qualis  
 pœna conveniat prudenter judicare oportet. Siquidem omninò  
 graviolem imponet pœnam ei, quæ virum in loco publico ad orta  
 in conspectu totius populi ceu patrem meretriciæ suæ prolis diffi-  
 mavit, arg. S. atrox f. de Injur. ac multum quoque ipsum personæ desi-  
 gnatæ dignitas ad exasperandam pœnam movebit, cum eò gravior  
 & atrocior sit injuria, quò honestior & dignior est persona injuriata:  
 Sic fustigationis & recantationis pœnam alicui dictatam esse memi-  
 nit Moller p. 4. c. 45. num. 9. scilicet quia ille non humilem fœmellam,



sed Consul Brunsvicensis filiam, licet id taceat Author, de stupro diffamaverat, quod ob identitatem rationis etiam in casu, quando fœmina masculum de stupro diffamat, procedet. add. hic Carpz. *d. df. 3. num. 4.* Idem dicendum, si studioso à muliercula tali parturiente imprægnatio imputetur, cum enim studioso illata injuria inter atroces numeretur, Dd. *ad auth. habita C. ne fil. pro patre* & nulli fere magis quàm studioso ejusmodi diffamatio noceat, dum illam vulgus malevolis obtreccionibus patulas aures præbens longè lateque disseminat, ut sapissimè etiam sinistra hæc & mendax fama ei ad honores & dignitates conscensuro obstaculo sit, omninò convenit, ut id ipsum solitò gravius puniatur, quo designans & aliæ mendaciis & furtivis congressibus asvetæ fœmellæ ab hoc frequentissimo injuriarum genere, ex quo omnis ferè studiosorum ordo à temporibus Baldi (quamvis ejus effata ad nationem Italicam forsan restringenda sint) malè audit, deterreantur.

- <sup>11</sup> Hactenus tamen dicta non semper & in omni designatione patris à matre facta obtinent, multi enim incidere possunt casus, in quibus judex à rigidiori hac pœna vel planè & in totum recedere, vel etiam eam ex justa causa mitigare debeat. Sic penitus ea cessabit,
- <sup>12</sup> si designans fœmina concubitum legitimè probet, Carpz. *p. 4. c. 45. d. 4. & Pr. Cr. p. 2. qu. 96. n. 53.* quod quoad palinodiam indubium est, mulier enim seipsam hic mendacii arguere non potest, cum verum dixerit, si autem id, quod objectum est, in rei veritate se ita habeat, recantationi locus non est; Dn. Lauterb. *V. 1. Disp. 1. de act. inj. recant. th. 10.* Quoad reliquas verò injuriis statutas pœnas idem probabiliter dicendum, cum vix in hac muliercula verum dicente injuriandi animus præsumi queat, quo ceu fundamento & substantia injuriæ deficiente ipsa quoque injuriarum actio deficit. Vid. in primis *l. 18. ff. & l. 5. C. de injur. ibi: fides veri à calumnia te defendit l. 3. §. 1. ff. Eod. l. 53. pr. ff. de furt. Myns. Dec. 6. Resp. 51. num. 11.* Dn. Lauterb. *V. 3. Disp. de Inj. th. 5.* Imò si fœmina injuriarum à Designato
- <sup>14</sup> conventa conjecturatè tantum probet concubitum per indicia & quasdam præsumptiones, hoc ei in tantum proderit, ut mitius cum illa agatur & recantatio in deprecationem, eine Christliche Abbitte / mutetur. Carpzov. *Pr. Cr. p. 2. q. 96. n. 56. & p. 4. c. 45. d. 5.* Et ita judi-



judicatum rescivimus Kletkampff anno 1687. die 8. Decembr. ab  
 Illustriſ. Com. de Brocktorff in causa Dettleſſ Olands und Maria  
 Drebingſ. Quod ſi verò paulò prægnantiores ſint ejuſmodi con- 15  
 jecturæ, ut ad juramentum purgationis reo imponendum ſufficiant,  
 eò præſtitò adverſus fœminam designantem nec injuriarum, nec ad  
 palinodiam agi poteſt, cum enim ita nominatus propriâ ſuâ culpâ 16  
 ſuſpicionibus anſam dederit, imputet ſibi, quod exinde ſuæ exiſti-  
 mationis jacturam quandam fecerit, unde meritò à vindicta legali  
 excluditur, ut taceam nullum fere aliàs hujus Juramenti purgatorii  
 uſum ſuperfore, ſi eò præſtitò contra actorem injuriarum experiri li-  
 ceret. Carpz. *Pr. Cr. d. l. num. 58. & in Jurispr. Forenſ. d. l. df. 6.* Denique 17  
 ſi animus injuriandi dolofus in designante ceſſet, nullus huic pœnæ  
 locus erit, veluti ſi imprægnata, quæ alii corporis ſui copiam ſub  
 promiſſione matrimonii fecit, imprægnantem ad alios convolare  
 amores audiens, eum uteri ſui intumeſcentis authorem cognatis,  
 vel etiam Sacerdoti in confeſſione ſecretò designaverit, illorumque  
 opem, ut a novellis amoribus retrahatur, imploraverit, qualem ca-  
 ſum refert & decedit Richter *V. 1. p. 1. conf. 21. add. Dn. Hopp. in*  
*Comm. 7. Tit. de Injur. p. m. 839.* Sed quid de errore dicemus, quem 18  
 plerumque, ſi in ſe graviùs animadverſum iri viderint, Designantes  
 ſuæ designationis cauſam prætexere ſolent? Ego quid illi tribuen-  
 dum ſit Judicis arbitrio relinquo, qui pro erroris qualitate pœnam  
 vel mitigabit, vel etiam, ſi inde animum injuriandi penitus abſuiſſe  
 conſtare poſſit, in totum remittet, modò tamen etiam error plenè  
 & concludenter oſtenſus ſit, id enim omninò fieri debet. Zang. *de*  
*Exc. p. 3. c. 13. n. 130 ſq.* Ludov. Poſth. *tr. de Poſſeſſ. Summariis. Dec. 1. 6. n. 5.*  
*6. Franc. Personalis tr. de Indic. 5. tort. n. 81.* Brunnem. *Proc. Inq. c. 4. n.*  
*31. Tabor. tr. de Indic. delict. in analyſi art. 32. Conſt. Car. th. 3.*

Deinde peculiarem, quoad designantem maritatam hæc defi- 19  
 gnatio operatur effectum, ut exinde ad ſeparationem maritus age-  
 re poſſit. *c. ex literis X. de divort. Farin. Op. Cr. p. 5. q. 143. num. 17.*  
 Gerhardi relatus *in Caſ. Conſe. curâ Wachſleri Francoſ. editis cap. 19.*  
*Secl. 5. qu. 3. fere in fin. Cothman. V. 2. Reſp. 16. num. 96. juncto num. 95.*  
 Et ita anno ſuperiori menſe Septembri Hamburgum verſus ab Am-  
 pliſſ. hac Facultate Jurid. pronunciatum eſſe ab Excellentif. Dn. Præ-  
 fide



- 20 fide accipi. Quod ipsum tamen tunc demum procedit, si, uti & in jam allegato casu contingebat, graves simul concurrant conjecturae, ex quibus adulterium commissum esse colligi possit, confessio
- 21 enim adversus matrimonium odiosa est, & hinc ad dirimendum matrimonium sola non sufficit, Marc. p. 2 dec. 754. Menoch. A. 7. Q. cas. 103. num. 8. & illo demum in casu confitenti nocet, quando res in potestate confitentis est, ut de ea, (id quod hic non est,) disponere
- 22 possit. Pacian. de prob. L. 1. c. 38. num. 17. Ut taceam posse personam pertaxam conjugij hoc allegare, alterique forsitan hanc allegationem non futuram ingrati. Vid. c. 5. X. de eo, qui cognovit. Brunnem. Jur. Eccles. L. 2. c. 17. §. 22. ibique Dn. Stryk in not.
- 23 Tandem etiam enodanda hic venit spinosa & à Dd. magna contentione agitata quaestio, an mulier adultera, quæ tertium adulterini sui partus patrem designavit, ex hac designatione & confessione ad mortem, positis scilicet requisitis, quod, ob adulterium mortis poena imponi queat, condemnari possit? Ubi sequemur Berlichium & casus tres ab eo propositos breviter examinabimus.
- 24 Primus Berlichij casus est, si mulier propter aliud delictum vel testimonij dicendi causa in iudicium vocata incidenter adulterium confiteatur & quis cum ea confieverit designet: Et tunc inquisitioni tantum via aperitur, quam super crimine hoc confessato servatis servandis instituire potest iudex. Berl. p. 4. c. 27. n. 134. Matth. de Affl. dec. 176. num. 1. & sqq. Jul. Clar. L. 5. rec. sent. §. ult. qu. 19.
- 25 num. 4. Nihil vero hic interesse puto, an ad iudicis interrogationem, an sponte sua adulterium passa sit, nam ad poenam juris imponendam nec spontanea confessioni creditur, quam interdum vel radiò vitæ, vel ex desperatione, vel alienatione mentis etiam ab innocente factam esse compertum est. l. 1. §. 27 ff. de quest. Gosw. ab Esbach ad Carpz. p. 4. c. 2. d. 5. n. 5. Moller L. 2. Sem. 37. in fin.
- 26 Secundus casus est, si pars in iudicio non incidenter, sed principaliter, extra torturam tamen, adulterij participem nominet: Et tunc illa extraordinaria, puta fustigationis & relegationis perpetuæ, poenâ affici potest, Berl. p. 4. c. 27. num. 135. Mod. Pift. p. 2. qu. 52. num. 1. sqq. per tot. & p. 3. q. 117. H. Pift. Obs. 34. num. 29. Carpzov. p. 274. c. 19. d. 15. num. 1. Theodor. Calleg. Cr. Disp. 6. th. 3. lit. k. quia nemo



nemo ex sua confessione sola ad ultimum supplicium trahendus, nisi constet de corpore delicti, *d. l. 1. §. 27. ff. de quest. l. 1. §. 24. ff. de Scil. Syllan. Boer. dec. 164. num. 9. Mynf. Cent. 3. Obs. 81. Gvid. Pap. qu. 339. in fin. Gosw. ab Esbach d. l.* Cum autem in hoc adul-  
 28 terij crimine nullaremaneant vestigia, utriusque demum partis confessio sufficiens hic visa fuit ad repræsentationem corporis delicti, *Carpzov. p. 1. Dec. Illustr. 90. num. 9. & Pr. Cr. p. 2. qu. 60. num. 8. H. Pift. Obs. 33. num. 22. Moller L. 2. Sem. 37. num. 1.* quæ si haberi non  
 29 possit, solius adulteræ Designatio & confessio ad pœnam mortis dictandam non sufficiet, *Carpzov. Pr. Cr. d. l. num. 7. & p. 4. c. 19. d. 15. num. 1. Mev. ad Jus Lub. L. 4. T. 6. a. 4. num. fin. Dn. Eric. Mauritius Consil. Kilon. p. 2. Conf. 12. num. 2. H. Pift. d. l. num. 17. & 60. M. Pift. p. 2. qu. 52. num. 1.* Limitationem huic casui secundo Berlichius sub  
 30 jungit hanc: posse sc. fœminã ad mortem condemnari, si is, quem secum adulterium commisisse designavit, exinde fugam arripuerit. *Berl. d. l. num. 136. & consentientes habet Brunnem. ad l. 17. ff. ad L. Jul. de adult. in fin. Moller L. 2. Sem. 37. num. 1. sqq.* adulterium namque  
 31 est difficillimæ probationis, utpote in tenebris sæpius & clam remotis arbitris perpetrari solitum, unde ex indiciis & præsumptionibus argui & ad pœnam deveniri potest. *Mev. ad Jus Lub. L. 4. T. 6. a. 4. num. 1. Dn. Maurit. Consil. Kilon. p. 2. conf. 9. num. 30 Jul. Clar. rec. sent. L. 5. §. adulterium. num. 16. Gabriel. L. 7. comm. concl. 17. num. 14. Moller p. 4. c. 2. num. 15.* Verùm cum fuga non nisi fugientem aggravet,  
 32 *Carpzov. Pr. Cr. p. 2. qu. 60. num. 31. & in adulterii crimine ex solis indiciis præsumpto non liceat ab una persona ad alteram quoad effectum condemnationis inferre, l. 17. §. fin. ff. ad L. Jul. de adult.* longè verior est contraria sententia, scilicet nec hoc in casu mor-  
 33 tis, sed tantum extraordinariam & morte minorem pœnam, fustigationem scilicet, esse imponendam, & hanc in pronunciando receptam esse testatur *Carpzov. Pr. Cr. p. 2. qu. 60. num. 30. sqq. H. Pift. Obs. 34. per tot.* Imò si ex indiciis & probationibus ferè indubitatis  
 34 constet, adulterium nequaquam commissum esse, sed fœminam dif- famatricem pertinaciter & malitiosè in confessione adulterii permanere, quin iudex remissa fustigatione pœnam mitiorem e. g. relegationem ei dictare queat, non dubitandum. *Carpzov. p. 4. c. 45. df.*



- 35 *df. x. & Prax. Crim. p. 2. qu. 96. num. 65.* Quid verò de cautela illa, quando existimant contra fugientem designatum in bannum procedi vel etiam publico proclamare in triplici diversorum Dnm. districtu illum citari posse, ita ut, si non compareat, pro confesso & convicto habeatur & sic quasi concurrente alterius confessione pars altera confitens æque morte puniatur, quam tradit Carpz. *Pr. Cr. p. 2. qu. 60. n. 51. sqq. & p. 1. Dec. illustr. 90. n. 23. sq.* fentiendum sit, in medio relinquemus.
- 36 Nos id limitabimus rectius, si manifestissima & prægnantissima accedant spontaneæ confessioni indicia, veluti si maritus gravi morbo debiti conjugalis redditionem impediendo longo tempore conflictatus sit, interim autem uxor gravida facta fuerit, vel si maritus per decennium absens reversus domi inveniatur anniculum vel
- 37 eam in ipso reali coitu cum extraneo femina deprehendatur: Tunc enim fat de corpore delicti constare videtur & licet alterius designati confessio non accesserit, tutò iudex ad mortis pœnam devenire potest. Carpz. *Pr. Cr. qu. 60. n. 22.* Bocer. *tr. de adult. c. 4. n. 5. sqq.* Menoch. *de pres. l. 1. q. 3. n. 1. & 5. & qu. 97. n. 2. & 3.*
- 38 Casus Berlichii tertius est, si mulier tormentis adaëta adulterum designet: Et tunc pœnam gladii, Designato licet contradicente, designanti rectè imponi Berlichius existimat *d. l. n. 137.* add.
- 39 Moller. *L. 2. Sem. c. 37. num. 2. & in Comm. ad p. 4. c. 19. num. 13.* Verùm nos hic itidem contrarium tuebimur, cum confessio in tortura facta sit res fragilis & periculosissima, dum dolor etiam innocentes fateri cogit, *l. 1. §. 23. ff. de quest. Zanger. d. tort. c. 5. num. 22. & 13. Brunnem. ad l. 1. ff. de quest. n. 11. Befold. Th. Pract. voc. Peinliche Straffe. Hahn ad Wesenb. tit. ff. de quest. num. 2. & ad probandum adulterium legis pœna puniendum probationes luce meridiana clariores requirantur. arg. l. ult. C. de prob. Bocer. de adult. c. 4. num. 28. H. Pi-*
- 40 *stor. Obs. 34. num. 33. Cothm. V. 3. Resp. 16. num. 58.* Quod autem Jcti Saxonici Berlichii sententiam ferè sequantur omnes, id ex eo est, quod Saxonix Elector in fundatione novi Collegii Scabinatus Lipsiensis ejus sententiam speciali constitutione, quam refert Carpz. *Pr. Cr. p. 2. qu. 60. num. 4.* approbavit, quæ nos extra Saxoniam non ligat.

F I N I S.



















00 A 6371

ULB Halle

3


002 916 614



1017









JEHOVAH JUVANTE!  
DISPUTATIO JURIDICA  
DE

DESIGNATIONE  
PATRIS A MATRE  
INFANTIS FACTA,

Oder:

Wie weit einer geschwängerten Person in  
Angehung des Vaters zum Kinde  
zu glauben / und wie weit solche ge-  
dachten Vater graviren könne.

QVAM

IN ILLUSTRIS CHRISTIAN-ALBERTINA  
P R Æ S I D E

DN. ELIA AUGUSTO STRYKIO,

J. U. D. JUR. PUBL. ET NOVELL. PROFES-  
SORE PUBL. ORDINARIO,

DN. PATRONO ATQVE PRÆCEPTORE  
SVO DEVENERANDO,  
IN AUDITORIO MAJORI

AD D.

A. O. R. M DC XCVI.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET

WILHELMUS HENRICUS DULLÆUS,  
ALTENA-WESTPHALUS,  
AUT. & RESP.

K I L O N I,

Typis JOACHIMI REUMANNI, Acad. Typogr.

